



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

30. Quid est vita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

Aeternitatis Prodromi Caput I.

42

ptennio toto, quo quidem tempore in magnâ asperitate vitam traduxit.

Idem to. 3. in vitâ S. J. de 4. Sept.
Ida probatâ sanctitatis femina, diu ante supremum diem feretrum sibi construi curavit, quod quotidie bis pane & alimentis implevit, idem in pauperes bis liberalissimè deplevit. Virtutis studium, optimus ad mortem apparatus est: Virtutem nulla mors inquinat. Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse morturum.

§. 30. Vita quid est?

Vide P. Max. Salsai Symb. vita human. An. 1626. edita Francofurti.
Flos est, Fumus est, Umbra est, & Umbrae umbræ: Bulla, Pulvis, Spuma, Ros, Stilla, Glacies est. Iridis arcus, deficiens Cereus, Saccus pertusus, ruinosa Domus, Cinis dolosus, Dies vernus, Aprilis constantissimus, unicus testudinis Tinnitus est; Hydria fracta, fontis Rota, araneorum Tela, maris Guttula, vilis Stipula, solstitialis Herba, brevis Fabula, volucris Scintilla, tristis Nebula, Vesica vento plena, rutilans ad solem Columbula; Vita, Vitrum tenerimum, Folium levissimum, Filum subtilissimum, Pomum aureum est, sed intus putridum, &c. Si nihil est umbra, dic quid umbræ somnium? Sexcenta mille capita, de vitâ humanâ rectè pronuntiantur. Mihi omnium rectissimè videntur dixisse, qui Vitam vocant, *Somnium umbra brevissimum.* Compendio rem dicamus: Vita est, *Somnus, Bulla, Vitrum, Glacies, Flos, Fabula, Fœnum.* Umbra, Cinis, Punctum, Vox, Sonus, Aura, Nihil.

Psa. 75. v. 6.
Ah, miser! quas opes struere, quantos honores gerere, quas & voluptates percipere nobis videmur? quidquid horum est, Somnium est, sed heu quàm breve & quàm ludicrum! *Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.* Divites & beatos, ô viri, vos esse somniastis, sed ex iis omnibus quæ habuistis, quæ sperastis, quid rerum obsecro retinistis? hæc vigilantium somnia, hæc somniantium ludicra erant merissima. Oculos nunc aperit pœna, quæ olim clauserat culpa.

Quid sit Vita.
Vita igitur quid est? Compendio dicam. Vitæ humanæ tempus, punctum est: Natura, inconstantia: sensus, obscuritas: corpus universum, concretio putrescere facilis: animus vagus: honores, fumus: divitiæ, spinæ: voluptates, venenum. Et ut verbo dicam, omnia, corporis quidem, fluxius; animi verò somnium: Vita, bellum, & hospitis in peregrinâ civitate mora, & innumera bilium miseriarum officina; fama post obitum, est oblitio. Hoc Aufonio credamus:

Epigra. 34.
Miramur perisse homines? momenta fatiscunt;
Mors etiam saxis nominibusque venit.
Ange mortem consummaris vitam virtute, res pulcherrima est.

§. 31. Vita Mimis.

Comœdia est omnis vita.
Comœdia est omnis vita. Nos histriones sumus; regem hic agit, ille medicum; ille principis personam sustinet, ille medicum, hic rusticum. Quamcunque Deus imposuerit, eam decore exequi oportet. Neque in eo laus sita est, ut Imperatorem agas vel Ducem, quamcunque egeris, plausum feres, modò eam bene agas. Opportunissimè hoc Epictetus submonens: *Actorem, inquit, esse solum talis, qualis magistro probata fuerit, te memento: si mendicam agere te voluerit, fac eam quoque personam ingeniosè representes. Ita si claudum, si principem, si plebeum. Hoc enim tuum est, datam personam bene effingere: eam autem eligere, alterius.*

Enchirid. c. 23.
Augustus Imperator, supremo vitæ die, admissos ad se amicos percunctatus est, Ecquid iis videretur minimum vitæ commodè transigisse? Adjecit & clausulam: *Ergo plausum date, &c.*

Sueton. in Aug. c. 99.
Seneca præclare de hac vitæ comœdiâ: *Sapius, inquit, hoc exemplo mihi utendum est: nec enim ullo efficacius exprimitur hic humana vitæ mimus, qui nobis partes has, quas*

Epist. 80.

(nostrâ culpâ & infirmitâ) malè agimus, assignavit.

Laërtius in Zenone, bono histrioni similem esse sapientem ait, qui sive Therich, sive Agamemnonis, personam acceperit, utramque decenter exprimit & imitatur.

Non igitur attendendum est, qui jam sumus, sed qui futuri sumus, ubi larvam & personam posuerimus: nec refert, primi an ultimi actoris partes susceperimus, modò bene agamus.

§. 32. Vita humana typus.

Idem, Da-mase. hist. de his c. 13. ad finem.
Iosaphato Regi Barlaamus senex, humanæ vitæ fallacia gaudia proponens: Unicornem, inquit, ferocè belluam fugit quispiam. In fugâ foveam intruit ingentem, in ipsâ verò ruinâ, protensis manibus apprehendit arborem, & ita lapsam præcipitem stitit. Dum in arbore hæret, sui periculi jam contemptor, duos mures conspicatur, album unum, atrum alterum: hi arboris radicem certante morsu vellicarunt, jamque ad ipsam panem medullam penetrarunt dentibus. Sed oculis insuper in imam ferobem dejectis, horribilem vidit draconem igneas minas spirantem. Dumque miser huc illuc oculos circumvolvitur, quatuor aspidum capita pariete prominentia observat. At his ille omnibus neglectis attollit vultu, & aliquid mellis ab arbore stillantis cernit. Quare sui securus, jamque & unicornis infestantis, & draconis minantis, & murium rodentium, & serpentium imminentiæ, & brevi casure arboris oblitus, melleam dulcedinem avidissimè lambit. Et hæc, inquit Barlaam, presentis vitæ sunt ludibria, quæ sic explico. Unicornis mortem repræsentat, quæ humanam gentem ubique insequitur. Scrobs, hic orbis est calamitatum referissimus. Arbor, quam, pressis manibus teneris, vita est certis limitibus conclusa. Duo mures nox & dies, qui arborem illam paulatim excindunt rodendo. Quatuor aspidēs, quatuor elemēta sunt, quorum pax si turbetur, animus corpore pellitur. Igneus ille ac truculentus draco, inferorum fauces designat, quæ nunquam non aperte ad glutendum. Mellis guttur, putidas corporis voluptates, & lethalem vitiorum dulcedinem significant. Hæc noxiā promulgate inescit, nec inferos horremus, nec calum aspiramus, contenti suaviter perire. Hec Barlaamus Iosaphato. O vera, verissima omnia! Si sapiamus, omnem horam credimus extremam. Ab omni vitæ momento pendet æternitas.

§. 33. Vita prologus, narratio, epilogus.

Humanæ vitæ prologus est Nasci, narratio Dolere, Nasci hu-
epilogus Mori. Orationis hujus lumina sunt, gemi-
tus & fletus, aut gaudium fletu deterius. Egregiè Seneca: Omnes agendum, inquit, mortales circumspice: larga ubique stendi & assidua materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat: alium ambitio nunquam quæta sollicitat: alius divitiis quas optaverat, metuit, & voto laborat suo: alium sollicitudo, alium labor torquet, alium semper vestibulum obsidens turba: hic habere se dolet liberos, hic perdidisse, ille nunquam habuisse, lacrymæ nobis deunt, antequam causæ dolendi. Non vides, qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen, fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consistit; sic vitam agimus.

Illud lacrymis dignissimum, nec ullis unquam fatis eludendum, quòd nemo nostrum seridè cogitat, quandoque sibi ex hoc domicilio migrandum. Cogitamus hoc quidem, sed obiter, & velut somniantes. Hinc, vivimus tanquam semper victuri; vix unquam fragilitas nostra profundis subit animum, nec observamus, quantum temporis transierit; sed velut ex pleno & abundanti perdimus tot & horas, & dies, & menses, & annos. Profundissimi sumus in tempore, nec illius irreparabilem jacturam estimamus, cuius unius honesta est avaritia. Sic magna pars